

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0913

0911

0917

0907

0922

0902

0962

0862

1012

0812

0412

Ende

Anfang

340

qui mihi videbatur in illa regione multo intensor, quam in
Jerusalem. Sedimus ergo in umbra et de paximaciis nostris
manducavimus sine potu refrigerativo, quia tam vinum in
brillis quam aqua in utribus erat omnino calefacta et ad
sitim extinguendam inhabilia. Non longe autem eramus ab
Ebron, civitate sancta, quam tamen videre non poteramus
propter montem medium inter nos et civitatem, quem parvo
spatio gyrare oportet ingredi volentem. Verumtamen Ebron,
illa civitas antiquissima, de qua sacra Scriptura loquitur, in
eo loco stetisse perhibetur, ubi eramus, ita quod pars civita-
tis dependebat in clivo montis et alia ejus pars per conti-
nuationem stabat inferius in plano in loco olivarum, postea
autem propter speluncam duplcem, sepulturam Abrahae, quae
in alio montis latere erat, translata fuit civitas ad locum spe-
luncae, ut patebit in descriptione. Igitur ita nobis sedentibus
Sabathitanco, Calinus magnus, suum equum adscendit et
cum famulo in civitatem Ebron equitavit, dicens praefecto
urbis et civibus, adesse peregrinos latinos Christianos de
transmarinis partibus cupientes cum eorum beneplacito videre
civitatem et loca patriarcharum. Hoc audiens praefectus
Ebron dure Calinum nostrum increpavit pro eo, quod nos
in campo dimisit in aestu solis, ubi nec aqua nec panis est,
et praecepit, ut festinate ad nos reverteretur et cum omni
nostra supellectili in civitatem introduceret in urbis diverso-
rium. Calinus autem noster dixit ei, quod cameli jam essent
exonerati et ad pascua emissi et non nisi magno labore
possent reonerari, ideo servos suos vellet ad Sarracenos di-
mittere et peregrinos introducere ad visitandum loca sancta
et hoc facto ad sarcinas reducere et ibi pernoctare et mane
recedere. Hoc audiens praefectus exarsit ira in Calinum et
eum traditorem peregrinorum et non ductorem esse dixit, quia
cum regio illa repleta sit latrunculis Arabum, non possunt,
inquit, peregrini illi in campo pernoctare, nisi cum periculo
expoliationis, idcirco introduc eos, et si tu nolueris, ego eos
introducam. Revenit ergo Calinus et cum multis passionibus
jussit reonerari bestias, et cum factum fuisset, ascendimus
asinos et cum turma nostra montem gyramus et per cli-
vum ab alia parte in civitatem Ebron ingressi sumus.

